



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De sacerdote, cui Dominus tantam contulit deuotionem, vt venter eius
dirumpi videatur accedenti adaltare, cap. 32.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

facrilegium iudicares. APOLLONIVS: Vtricum, quātum ad prædictam visionem, similem iudico sancto Martino, de cuius capite cū altare benediceret, etiā globus igneus emicuit. CÆSARIVS: In vtroque signum fuit magnæ deuotionis, cuius autor Spiritus sanctus est, qui in igne super Apostolis apparuit; vnde non immeritò a sacerdote ante canonem, sursum corda habere monemur.

CAPVT XXXII.

Alium itidem noui sacerdotem, cui accedenti ad altare, tantam Dominus saepe contulit deuotionem, vt esset venter eius, sicut scriptum est in Iob, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas nouas dirumpit: & sicut ipse mihi confessus est, adhuc enim viuit, tam vehementes motus nunquam in corde eius deuotio excitauit, vt pectus dirumpi videretur; oportebat eum motus eosde propter circumstantes reprimere. Quæ peccatorum vincula, huiusmodi impulsus non dirumperent? Huius congruit id Dauidicum: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, &c. APOLLONIVS: Puto quòd valde mundis manibus sacrificet, qui tam flammæum pectus habent. CÆSARIVS: Quòd huiusmodi sacerdotes, non solum mundas, sed lucidas tempore sacrificij manus habeant, exempla sequentia declarant.

CAPVT XXXIII.

CVM die quadam sacerdos quidam in mōte sancte Walburgis missam celebraret, religiosa Virgo Richmundis, cuius memini in distinct. octaua cap. 7. post tergum eius stans, hostiam in eleuatione tam lucidissimam vidit, & tam perspicuam, ac si fuisset crystallina, & radio solari perlustrata. Nec impediebant pollices sacerdotis, quibus hostiam tenebat, in aliqua parte hostiæ claritatem, quia eadem gratia pollices dotabantur: necdum tamen factam ibi fuisse puto trāssubstantiationē; vocabatur autem sacerdos Wilhelmus, a tate quidem iuuenis, sed vitæ regularis in capella iuxta Nuffiam professus. Visionem hanc
Rich-